DE LAUDIBUS

MARCI ANTONII PEREGRINI

ORATIO

HABITA IN GYMNASIO PATAVINO

V. CALEND. DECEMBR. ANNO MDCCCXIV

AD STUDIORUM INSTAURATIONEM

A VINCENTIO CROMER

IN EODEM GYMNASIO ORDINIS JUDICIARII
PROFESSORE

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXV.

940.

Ex annalium monumentis testes excitamus eos, quorum omnis vita consumpta est in laboribus gloriosis.

Cicero lib. 2. de finibus.

Cum ea vigeat in hac urbe consuetudo, ut singulis annis auspicatissimum hujus litterarii curriculi capiatur exordium ab eximiis laudibus viri alicujus immortalis, qui maximis in patriam meritis famam est amplissimam consecutus; non possum profecto quin hunc morem et institutum magnopere probem et valde accommodatum existimem tum ad gloriam majorum illustrandam, tum ad excitanda adolescentium ingenia, qui nobili discendi desiderio ad hoc regium Gymnasium tamquam ad aliquam publicam palaestram solent convenire. Inest enim in animis nostris, primo praesertim adolescentiae tempore, insitum et inustum quoddam novarum rerum studium, inest pulcri imitatrix vis imaginandi, quae sensu magis ducitur quam ratione, validius exemplo quam praeceptis impellitur ad recte faciendum, libentius iis detinetur quae oculis occurrunt, quam quae animo obversantur, alacrius et vehementius propositis illustribus virorum monumentis, quam nuda austerae philosophiae veritate se inflammari sentit, et ad virtutem accendi. Quare laudabiliter Graeci et Romani, quos solitos fuisse accepimus

domi quemque suae expositas habere antiquas avorum imagines tamquam domesticae dignitatis insignia, non ad intuentium voluptatem, aut ad magnificentiae ostentationem, sed ut nepotes ad egregia facinora imitanda summorum virorum cogitatione excitarentur.

Quamquam duo sunt, quae obstant saepenumero et impediunt, quominus hunc finem assequamur, delectus scilicet viri laudandi, et idoneus laudator. Quid enim tam arduum ac difficile, quam ex tot gravissimis viris, quorum ad nostra usque tempora memoria permansit, aliquem sumere virtutibus praeditum neque tam communibus, ne desit aemulationis stimulus; neque tam splendidis et singularibus, ne concidant ingenia desperata imitationis laude, sed ita propriis et ad omnium indolem accommodatis, ut inde in animis adolescentium honestum existat imitationis studium atque contentio? Quamquam etiamsi hujusce generis vir eligatur, num is propterea aliorum, quibus jus est ad immortalitatem, carebit invidia? Num eorum omnium, qui audiunt, suffragio comprobabitur?

Atque istuc periculi in quolibet laudando tunc fit maximum, ubi de aliquo, qui legum scientia floruit, instituenda sit praedicatio. Nam cum reliquae omnes disciplinae certum aliquem finem spectent, ac suis limitibus circumscribantur, jurisprudentia latissime patet, ac semper in dissimili rerum genere versatur. Nonne jurisperitum videmus nunc tamquam consiliarium et administrum leges proponere viris principibus ad salutem civium et urbium incolumitatem opportunas atque idoneas; nunc instituta et jussa populorum ex cathedris explicare; modo legatione fungi apud exte-

ras nationes; modo provinciarum administrationem suscipere; vel data sententia inter se digladiantium dissidia de tribunali dirimere re cognita; vel procul a strepitu fori jus interpretari populo, et perfugia causarum consulentibus patefacere; vel denique ex domestica exercitatione et umbratili in clamorem et in aciem forensem legum scientiam educere, et de civium vita, fortunis, libertate cum potentissimis adversariis dimicare? Ecquis autem hisce omnibus ita instructus, ut aliis proponi possit ad imitandum?

Neque vero minor in eo, qui laudat, difficultas. Etenim ad illum pertinet cum perite ac scienter, tum ornate et eleganter vivam herois imaginem magna tamquam in tela exhibere, et quae fuerit ejus indoles, qui spiritus, quae ingenii vis, quae cognitio, quae doctrinae cum moribus conjunctio aut dissensio ex factis mature expensis et apte distributis colligere et explicare sine ullo fuco et gratiae suspicione, sparsis utilium sententiarum luminibus, cum laudationis omnis praestantia in eo sit, ut afferat primum utilitatem, deinde ut delectet. Quae si difficilia cuilibet vel solertissimo, quanto mihi difficiliora, qui neque industria valeo, neque ingenio, neque copia et exercitatione dicendi? Utinam mihi liceret ab hac tanta lucis celebritate modo abstinere, et hunc locum aliis relinquere, qui, si loquerentur, multo gravioribus verbis, quam egomet nunc, tenerent aures vestras, atque adeo voluptate perfunderent. Sed quoniam hoc munus a me postulatur eorum auctoritate, quorum voluntas est honor, jussus vero pignus benevolentiae et patrocinii, mihi obtemperandum est.

Quapropter ego ab adolescentia legum studio ecclesiasticarum et civilium partim voluntate, partim officio deditus muneris mei esse existimavi unum aliquem vobis proferre ex illis celeberrimis jurisperitis, quorum ego vestigia intuens in hac aula impressa ad longi praedicationem temporis doleo vehementer me cum illis officii tantum similitudine, non doctrinae et ingenii societate esse conjunctum. Ex omnibus autem illum deligendum curavi, cujus scripta minime interierunt cum ejus morte, quae duobus abhinc saeculis contigit, sed vigent adhuc litteris prodita ad gloriam auctoris sempiternam. Intelligitis jam me vobis tacite recordari egregium hominem, et in primis eruditum, summum et sapientissimum civem, cujus in hanc urbem meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio, MARCUM ANTONIUM PEREGRINUM.

Quamquam haud haec prima de ejus laudibus commemoratio, quandoquidem de eo Tomasinus in ejus vita, Bovius in funebri oratione, Riccobonus, Papadopolus, Facciolatus in fastis Gymnasii patavini, aliique permulti scripserunt honorifice, adeo ut laudatio haec mea nullam novitatis, solam veritatis commendationem habere possit. Duo igitur in hoc viro vobis contemplanda propono maxima decora et ornamenta, doctrinam scilicet atque virtutem. Quod dum aggredior, vestrae erit humanitatis, ornatissimi viri, me in tanto discrimine laborantem sustinere, vestrae vero sapientiae existimare num jure ac merito Marcum Antonium Peregrinum prae aliis multis hodie decorandum exornandumque susceperim.

Tria potissimum sunt, quae eximiam hujus viri

scientiam et doctrinam manifestant, officia scilicet ab eo suscepta et gloriosissime absoluta, operum praestantia, honores demum et dignitates. Priusquam vero de singulis disseram, ne pigeat, quaeso vos, Auditores, mecum cognoscere, qua ille ratione ad ea promerenda atque absolvenda feliciter a prima usque aetate se se comparaverit. Is ortus Vicetiae postquam prima latinae italaeque linguae rudimenta didicit adolescens clara indole et maxime liberali Patavium tamquam ad sedem bonarum artium atque scientiarum missus est a patre, de optima ejus institutione apprime sollicito. Erat tunc in hac civitate ejus patruelis Ventura Peregrinus, qui in hoc Gymnasio jus civile profitebatur, et causarum etiam patrocinio valebat plurimum. Huic Marcus Antonius concreditur atque commendatur, ut ejus cura et sollicitudine in omni disciplinarum genere institueretur. Itaque artibus honestissimis eruditus, rhetoricae nimirum disciplina et logicae facultate se totum ad eam scientiam convertit, qua instruimur ad jura populorum cognoscenda, ad capessendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem, doctores nactus celeberrimos Hieronymum Torniellum, Tiberium Decianum, Marcum Mantuam Benavidium, non tam Gymnasii hujus, quam totius Italiae splendidissima lumina et ornamenta; horum nimirum existimationem et gratiam sibi conciliavit, horum consuetudinem et familiaritatem contraxit, propter eximiam spem, quae de illo erat apud omnes; sed praecipue Mantuae Benavidio probatissimus fuit et jucundissimus, qui ipsum summa ac prope paterna caritate, dum viveret, complexus est.

His ducibus atque magistris vix credibile, quantum in jurisprudentiae studio profecerit egregius juvenis. Etenim adolescentes, cum ad naturale ingenii bonum et ad nativam facilitatem mentis vividae ac promptae adjungunt assiduum laborem et magnitudinem contentionis, quin unquam languori se dedant ac desidiae: cum ineuntis aetatis inscitiam regendam curant consilio, prudentia, auctoritate doctorum hominum: cum omne studium in id conferunt, ut se se iisdem commendent; quos ipsi fructus, quamque uberes et diuturnos percipient! Hoc nimirum egit strenuus adolescens, qui a primo aetatis flore ingenii sui felicitatem maximam, miram solertiam, intelligendi celeritatem, et reliquas animi dotes a natura liberaliter tributas optimorum virorum praeceptis excoluit, aluit privatis eorum sermonibus, auxit diligentia, industria et assidua exercitatione perfécit.

Quid igitur mirum, si in hac scientia adeo processerit, ut quam citissime naturalis atque humanae, civilis et ecclesiasticae, publicae, privataeque jurisprudentiae peritiam assecutus fuerit; si patrias leges et consuetudines omnes plane intellexerit penitusque comprehenderit; si studiis vix absolutis laurea corona, doctarum frontium praemio, inter sapientissimorum virorum plausus fuerit decoratus: qui honor tunc temporis neque ita communis, ut cuilibet pateret, neque ita facilis, ut sine accuratis et laboriosis experimentis decerneretur? Illud potius me in admirationem rapit, quod huic vix adolescentiam egresso, tunc cum ceteri juvenes alieno magis ductu et disciplina indigent, quam ipsi se se aliis magistros ac duces praebere pos-

sint, provincia tradendi juris civilis demandata fuerit. Ecquis enim ignorat, quam arduum sit et salebrosum scientiam aliquam cum dignitate profiteri, non jam inter privatos ludi parietes, non in obscuro aliquo et infrequenti loco, sed in hoc Gymnasio, tum antiquitate, tum auctoritate ubique celeberrimo, in hac civitate omnium disciplinarum atque artium altrice? Quanta doctrinae necessaria est copia, quantus eruditionis apparatus, quanta ubertas facilitasque sermonis! Haec tamen omnia Marcus Antonius cumulatissime praestitit, et communi exspectationi non sine magnis laudum praeconiis satisfecit.

Sed actuosa ejus mens, et ad grandia natus animus quasi nimium arctis conclusus limitibus latius ferri praegestiebat, et ampliore palaestra dominari. Tribus siquidem annis vix elapsis ipse Gymnasium deserere, ex hac aula ad curiam, ex cathedra ad forum, ex litterario ludo ad certamen et contentionem, ex munere docendae juventutis ad judicia, causasque civiles gradum facere clientium patronus, defensor vitae civium, injuriarum depulsor, bonorum propugnator. Ne quis vero putet hoc consilium, juvenili temeritati aut incogitantiae adscribendum esse. Summa enim erat illi ingenii similitudo quasique propinquitas cum Bartholo, quem virum et admiratus est maxime, atque imitandum sibi proposuit, cujus scripta diu multumque habuit in manibus et perpetuis commentariis illustravit. Itaque cum illo praestantissimo jurisconsulto existimabat jurisprudentiam, cum sit justi atque honesti scientia, non exiguis et angustis juris romani finibus circumscriptam esse, sed ad omnes, qua late patent,

leges et consuetudines pertinere; jurisperiti esse, quemadmodum praecipit etiam Tullius, non solum ea interpretari, quae sapientissime constituta sunt, sed etiam ad novos casus temporum veterum institutorum rationem accommodare, ac proinde hanc scientiam ex scholis ad forum traducendam esse, neque sejungendam a studio philosophiae, ut ex priorum eventuum animadversione, si quae novae acciderint causae vel quaestiones, peti possit ratiocinando earum dijudicatio; opus esse praeterea pro antiquis et obscuris novas et perspicuas definitiones inducere; consulta prudentum ad quotidianum vitae usum revocare, eorumque vim ad ea, quae praevisa minime fuerunt, liberalitate quadam extendere. Nova haec opinio et sententia, cui adeo adversabatur Cujacius, teste Scaligero, ut nihil magis vellet, quam eam semel perceptam posse dediscere et ex memoria delere, summopere placuit judicibus aequissimis Grotio et Gravinae, qui affirmare non dubitarunt, hac methodo et ratione ex latebris et diuturnis tenebris excitata, quodammodo fuisse ad novam lucem splendidissima veterum jurisconsultorum responsa, qui in Justiniani collectione, nescio quo fato, praetermissi fuerunt, sublatam tribunalibus judicandi difficultatem, depulsum metum et periculum ab innocentibus injustae sententiae.

His permotus Peregrinus ex liberali ludo ad graves causarum operas accessit. Florebant ea aetate patavino in foro patroni nobilissimi. Hos aequandi atque adeo superandi ardore inflammatus curam, laborem, diligentiam, contentionem ingeminat; qua quidem arte assecutus est copiam et facultatem dicendi etiam ex tem-

pore admirabilem, scribendi facilitatem incredibilem, peritiam in respondendo singularem, quibus tantopere eminuit, et se supra ceteros commendavit. Hinc ejus doctrina ab omnibus praedicari, ejus domus veluti justitiae templum haberi, ad illum omnes tamquam ad oraculum non modo nostri, sed etiam exteri homines convenire, non ut quasi a veteratore aliquo obscuris, ambiguis, inutilibusque responsis percellerentur, sed ut ab experientissimo jurisconsulto et eloquentissimo oratore consilia certissima, sedulam operam, facile patrocinium invenirent.

Neque vero privatarum solum fortunarum defensio adversus malos homines et perniciosos, sed publicae quoque rei conservatio, ejus fidei et prudentiae commissa fuit. Nam juris regii patronus delectus est, atque dignus habitus, cui tuendi Fisci partes mandarentur. Praeclarum sane munus, Auditores, et perhonorificum, aeque tamen perdifficile et periculosum. Quid enim nobilius esse potest, quid sanctius, quam principis jura sustinere, et pecuniam publicam non modo pie et religiose curare, sed etiam ab iniquorum hominum vi et fraude intactam et integram custodire? Rursus quid esse potest odiosius, quam eorum audaciae et cupiditati obsistere, quibus nulla est religio in bona publica invadere? Quod si Peregrinus, in hoc munere obeundo non minus reipublicae utilitati, quam sui nominis celebritati prospexit, pro vestra sapientia judicate, quantum doctrina et dexteritate excelluerit.

Quamquam nihil, ut arbitror, magis denuntiat ejus praeclaram in omni genere, tum civilis, tum ecclesiasticae jurisprudentiae, tam publicae quam privatae do-

ctrinam, ejusque summam in negotiis tractandis, componendis, definiendisque prudentiam, quam officium consultoris in jure, quo honorificentissimo veneti Senatus decreto fuit insignitus. Nam ut nihil dicam de rebus gravissimis, quae ejus judicio definiendae subjiciebantur, nihil de illa circumspectione, qua, quin veritatem laederet, sententiam suam proferebat: praesertim in controversiis inter Sacerdotium et Imperium subortis, quae geminae potestatis concordiam adeo bono populorum necessariam turbabant vehementissime; nihil demum de ea difficultate, in qua ille versabatur quoties a senatoribus, qui nuncupabantur sapientissimi, maximeque callebant artem regendarum civitatum, ejus suffragium expendebatur; ut nihil, inquam, de his omnibus dicam, annon id maximum, ut prae aliis multis, qui tum aderant, nobilissimis viris ad hoc onus sustinendum unus designaretur? Jam vero officium hoc Peregrino detulit non unius hominis voluntas et favor, qui errare ac decipi potest, ubi de alicujus meritis agitur, sed plurium in unum sponte conspirantium consensio, quibus omnibus par in cognoscendis viris sagacitas, par amor et desiderium servandi, imo etiam augendi gloriam dignitatemque reipublicae; illius, inquam, reipublicae, quae per decem et quatuor saecula stetit immota ac libera, quae omnium animos sibi devinxit pietate, justitia, clementia, quae ab exteris nationibus summopere colebatur, quae denique postremis hisce temporibus exemplo declaravit suo, ubi virtus dominetur, claras et felices florere urbes et nationes, ubi vero virtutis vires infringantur, exstingui lucem, ac proinde tolli felicitatem omnem

populorum. Quamquam nonne felix futura Venetorum conditio, quibus post casus et procellas clementissimi et beneficentissimi Imperatoris amor et magnanimitas spem affert pristinae gloriae et amplitudinis splendorem et commoda recuperandi? Nullum sane exitum inveniret oratio, si vellem enumerando vobis singula recensere, quae de hoc homine tam magno, tamque praeclaro dici possunt. Illud igitur tantum adjungam, Marcum Antonium Peregrinum tot muneribus eximie perfunctum, aetate jam ingravescente, sed plena adhuc spiritus et roboris, iterum in hoc Gymnasium exceptum fuisse, et disciplinae praefectum juris canonici, ut eo ipso in loco, in quo coeperat, vitae publicae et gloriae curriculum absolveret.

Tam multiplices curae, tamque laboriosae Peregrinum minime prohibuerunt, quominus doctrinae opes multa exercitatione et meditatione paratas et excultas in litterariae reipublicae bonum diffunderet elucubratis operibus eruditione plenissimis, numero plurimis, mole maximis, ita ut non solum confici, sed ne describi quidem ab uno homine potuisse videantur. Qua in re illud singulare, et omnino proprium occurrit, quod cum alii opera officiis praemittere soleant, tamquam specimen ingenii et peritiae suae ad illa obtinenda atque gerenda, ipse officia praemisit operibus, ut ad haec conficienda re ipsa se aptum ostenderet. Cogitabat siquidem, eam, quae nonnisi vulgi rumoribus nititur, celebritatem aut veram non esse, utpote quae vel a studio partium, vel praepostera opinione, vel ab aliqua privatae utilitatis ratione pendet, aut si habere aliquid veri splendoris et admirabilitatis

videtur, permanere tamen non posse ad diuturnitatem temporis, sed una cum illius, qui laudatur, vita deficere atque evanescere; e contrario firmam et stabilem esse famam scriptis comparatam, quae acri judicio exagitata et expensa, et praesentium non modo, sed etiam futurarum aetatum unanimi suffragio comprobata ad memoriam posteritatis ultimam auctoris nomen transmittunt.

Quapropter Peregrinus tot editis illustribus voluminibus, quae, si minus temporis ordine, saltem rerum genere susceptis officiis respondent, aperte significavit se non caeco quodam et fanatico multitudinis impetu et admiratione, sed ea, qua se omnibus probaverat in causis agendis dexteritate et peritia, in sustinendis muneribus industria et sollicitudine ad tantum honoris fastigium pervenisse. Et re quidem vera nonne ejus scientiam in tradendo jure civili et canonico adeo gravem et conspicuam luculenter copioseque declarant tractatus plurimi de proprietate et possessione, de fictis modis ejusdem possessionis acquirendae, de pactis et conventis, de jurisdictione tum ordinaria, tum delegata, de probatione judiciaria, de officio vicarii, de hereditate in aliquem collata, ejusque fidei ita religiose commissa, ut servetur integra et ad seros usque nepotes transmittatur? Nonne id evincit certissimo documento liber, cui titulus Decisiones patavinae, ac praecipue ejus dissertatio de Ordinum Regularium potestate succedendi in decedentium bona et jura? Jam quantum in defendendis clientibus auctoritate valuerit, satis comprobant et ostendunt sex illa ingentia atque ampla volumina, in quibus ejus consulta

sapientiae plenissima continentur; quantum in procurando Fisco, fide et vigilantia ex iis perspicitur, quae nobis scripta reliquit de ejusdem juribus et privilegiis; quantum demum in consilio reipublicae dando, prudentia, doctrina, maturitate facillime dignoscitur ex ejus praesertim responsionibus in decreta a Senatu veneto tum promulgata, cum supra memoratae inter Sacerdotium et Imperium quaestiones extiterunt.

Sed haec omnia jam in vulgus edita, jam omnium percelebrata sermonibus, omnibus testata et illustria. Utinam et alia plurima, in quibus ejus industria elaboravit, clarissima celebritate et luce publica perfruerentur! Quam firma enim, et quam gravia ejus scientiae singularis ac prope divinae testimonia vobis producerem! Commemorarem vobis ejus disputationes publice habitas ex hoc loco ad jus canonicum et civile adolescentibus explicandum; animadversiones et quaestiones proferrem in Statutum patavinum; tractatus ante oculos ponerem de feudis, de usuris, de modis civilibus, quibus liberi natalium macula et dedecore sublato in patriam potestatem revocantur; contemplandas vobis objicerem ejus dissertationes de hereditatibus ultima voluntate delatis, et de varia nominum significatione, quae in testamentis adhiberi solent; ea recenserem, quae scite et graviter tradidit de successione ad Lusitaniae regnum et ad Ducatum ferrariensem; aureum illum librum referrem, qui inscribitur princeps, quam ab eo dissimilem, quem in eamdem rem Machiavellus conscripsit! Sed in primis et ante omnia in memoriam vobis revocarem multis curis et vigiliis elaboratas in Bartholum adnotationes, quas su-

pra memoravi, quod opus prae aliis diligebat, et in supremis tabulis heredibus commendaverat, ut, quantum fieri posset, ab oblivione et interitu servaretur: dignum viro magno desiderium, et maxime profuturum litterariae reipublicae, si ejus voluntati non defuissent degeneres nepotes magis de rerum domesticarum, quam de avitae gloriae patrimonio solliciti.

Ego vero quoties ejus libros in lucem editos vel leviter percurro atque considero, haud satis admirari possum doctrinae copiam et apparatum, ratiocinationis vim, perspicuitatem notionum, locutionis facilitatem, naturalem rerum ordinem et distributionem, memoriae demum felicitatem et firmitatem tantam, ut non sententiae modo, sed etiam ipsissima, ubi res postulat, legum et jurisperitorum verba fideliter exhibeantur. Non equidem inficior ejusdem stylum neque nitidum prorsus esse, neque excultum, sed pressum ac jejunum; id tamen ignoscendum homini ingenue fatenti se assidua et sollicita forensium negotiorum pertractatione distentum latinae linguae elegantiae et candori, quod maxime optaverat, minime studere potuisse.

Cui vero nota non est horum operum excellentia atque utilitas? Testes fere omnes Europae populi, qui viri hujus longe doctissimi immortalia scripta avidissime exceperunt, et summopere admirati sunt; testis Italia et exterae cultae civitates, quae ejus lucubrationes nobilissimas passim edi curarunt, lateque apud omnes propagari iterum ac saepius decoratas multis et magnificis editionibus; testes tot clarissimi et sapientissimi viri, non e nostris modo, sed etiam externi,

qui licet ad censuram magis, quam ad laudem proni de iis gravissime senserunt, eaque amplissimis et splendidis judiciis honestarunt; testis civitas haec nostra, atque etiam Urbinum et Gratianopolis, a quibus haec monumenta perinsignia et maxima, dum adhuc auctor viveret, dignissima habita sunt, quae inter veterum jurisconsultorum volumina locum obtinerent, solaque e recentioribus ad res controversas definiendas eoram tribunalibus proferrentur; testes denique causidici paene omnes, qui eadem ab eorum ortu ad nostram usque aetatem non modo plausu, sed etiam constantissima consuetudine atque usu fori comprobarunt.

Quod si tantopere excelluit in muneribus obeundis ejus doctrina, si tot operibus immortalitate dignis magnifice commendata fuit, nonne aequum erat, Auditores, ut eadem privatis etiam et publicis honoribus decoraretur, atque addito quasi cumulo exsplendesceret? Honor, teste Tullio, praemium est meritorum, seu communis quaedam existimationis et obsequii in testimonium virtutis significatio. Is igitur veri nominis honor habendus est, quem sibi quisque recte factis promeretur, non a majoribus mutuatur: accipit sponte oblatum, non industria, non calliditate, non injusto aliorum contemptu studet aucupari. Ac si quis unquam hujusce generis famam assecutus est, is certe fuit vir hic egregius, qui non a vetustis insignibus ac titulis honestissimae familiae, neque ab aliquo casu atque fortuna celebritatem nominis accepit, sed sibi ipse peperit maximam laudem rebus eximie gestis; qui dignitatibus ornamento esse maluit, quam ex dignitatibus ornamentum quaerere. Quam jure propterea apud

omnes summo in pretio habitus fuit, et magnis ubique admirationis indiciis cohonestatus! Vos compello, clarissima veneti Senatus lumina, Ciconiae, Donati, Contareni, Prioli, Cornelii testes et laudatores amplissimi praestantis ejus ingenii, spectataeque doctrinae; vos Corregii, Collalti, Ursini, Pepuli, Castiliones, Gonzagae, ut missos faciam ceteros, non patrii tantum soli, sed etiam Italiae totius domus antiquissimae et potentissimae: quam multa Peregrino honoris et existimationis argumenta exhibuistis! quanto illum amore et benevolentia complexi estis! Fuit is acceptissimus Parmae, Mantuae, Urbini, Mirandulae, Sancti-secundi, Terraeque Novae ducibus, aliisque Italiae viris principibus; devinctos consuetudine tenuit viros claros, in primis Cornelium, Priolum, Vendraminum, Madrucium, Gallum, Sforciam non purpurae minus, quam virtutis et sapientiae splendore celebratissimos; gratiam iniit apud potentissimum Germaniae imperatorem, apud regem Hispaniarum invictissimum, apud augustam electricem Saxoniae: quos omnes ille in rebus gravissimis et maximis consilio juverat, fide sustinuerat, scriptis defenderat.

Quid vero externa et publica honoris testimonia commemorem? Illum intueor in ducis parmensis aedibus, exceptum regio apparatu, effusisque praeconiis et largitionibus dimissum; video a veneto Senatu, eo quod ortam de finibus controversiam inter rempublicam et Alphonsum II Ferrariae ducem feliciter sedaverat, aureo torque insignitum, cooptatumque in equestrem divi Marci ordinem; lego ejus nomen in civium vicetinorum albo grandibus inscriptum litteris;

audio plausus, secundas admurmurationes accipio, quibus patavina civitate donatus est. Quem honorem sibi jucundissimum esse tum maxime declaravit, cum se origine vicetinum, voluntate patavinum dicere solebat: quod dictum notatum voluit, et incisum in ipso sepulcri titulo; declaravit cum ad accepti beneficii gratiam, aliquo publico pignore significandam, vobis, cives patavini, decisiones suas nuncupavit; cum motas inter vos et Veronenses, Rhodiginos, Policinii et Fossae Claudiae incolas dissensiones de torrentibus et fluminibus tanta dexteritate composuit; cum vestras leges recognovit, et ad meliorem formam redegit; cum denique caritati et amori vestro Peregrinorum familiam voluntate ultima commendavit.

Tot tamque eximia honorum decora eo admirabiliora in illo fuerunt, quo magis abfuit ab illis ambiendis, vel arte aliqua sibi comparandis. Quamquam quid tantum abfuisse dico? Nonne et illa, quae sponte oblata, quaeque ingens in humanis animis sui desiderium exsuscitant, summa constantia et magnanimitate repudiavit? Illustris sane dignitas et maxime suspicienda auditoris sacrae romanae *Rotae*, quae viam quasi parat ad purpuram obtinendam, et ad principis omnium sedis fastigium. Per ea tempora jus mittendi Romam auditorem sublatum fuit Angliae ob ejus defectionem e sinu Ecclesiae romanae, idemque ad venetam rempublicam, Sixti quinti Pontificis Maximi liberalitate, translatum. Omnes ad unum id muneris Peregrino portendere, in hunc omnes defigere oculos, hunc senatores praestantissimi, hunc tarvisinus episcopus Antonius Molinus pontificiae voluntatis inter-

pres hortari et impellere, ut se, voti compotem certo evasurum, in candidatorum numerum admitti sineret. Tot virorum studiis et invitamentis obstitit vir immortalis, et in ejus locum electus est Franciscus Mantica, tum professor juris civilis in hoc Gymnasio, qui non multo postea sacro Cardinalium Collegio adscriptus fuit. O incredibilem animi moderationem, atque inauditam modestiam!

Omitto nunc reliqua doctrinae praemia, stipendia largissima, lectissima dona, splendidissimas remunerationes, quibus ob officia tam multa tamque gloriosa, ob praestitam privatis hominibus, atque etiam ipsis viris principibus operam cumulatus fuit. Quid tamen? Putatisne illum tantas opes, quae innumeros honores consecutae sunt, in eas res profudisse, quarum aut nullus, aut certo brevis fructus futurus esset? Nihil minus. Eo divitias contulit suas, ut par dignitati decus servaret, nepotis familiam sustineret, miserorum indigentiae et aerumnis opitularetur. Laeta hoc loco exsultat ac triumphat oratio, et gestit gratulabunda in latissimo ejus virtutum quasi campo excurrere et libere exspatiari. Non minor enim fuit huic viro cura et sollicitudo, ut multigena rerum eruditione mentem augeret, quam ut animum bonis moribus, optimisque institutis perficeret; cum nequeat doctrina dulces et uberes fructus edere, nisi solidis virtutis radicibus innitatur. Quod secundo loco vobis explicandum, et demonstrandum proposui.

Si mihi nunc de singulis ejus virtutibus sermo habendus esset, plurima vobis et maxima proferre possem digna hominum memoria. Sed ne praestituti an-

gustias temporis praetergrediar, hunc locum, quamvis latius pateat, tantum attingam, ut omnes intelligant, nihil me neque subterfugere voluisse reticendo, neque inobscurare prolixe dicendo. Praetermitto itaque primam ejus originem ex illa vetere familia, in qua prope una cum sanguine atque ortu dimanare ac diffundi in nepotum animos videbatur virtus et honestas majorum; in qua parentes de egregiorum magis facinorum laude, quam de amplo patrimonio liberis tradendo erant solliciti: liberi vero cupiebant probitate magis, quam opibus et juribus in parentum locum succedere; in qua pietas, justitia, misericordia, pax, continentia, tamquam custodes et dominae, domesticam disciplinam moderabantur. Non vobis Peregrinum exhibeo vel a puero ad morum gravitatem compositum, singulari modestia praeditum, bonae existimationis fructus cogitantem, semper sibi parem in tota vita summa moderatione dictorum omnium atque factorum, contemnentem omnes voluptates, easque etiam, quae ad requiem corporis, et ad vires non ad oblectationem referuntur, nihil ut esset, quod innocentiam laederet, aut quotidiani laboris assiduitatem remitteret, vel ordinem perturbaret. Praetereo quam laudabiliter, quam parce et continenter domi vixerit coelebs, una cum fratris filio septemque pronepotibus, quorum primo natu majori omnium rerum familiarium curam et administrationem reliquerat; parum somno tribuens et quieti, multum vero temporis vigiliis et laboribus, quorum si quam levationem habebat, hanc unice habebat, ut aut in agrum suburbanum secederet; aut in sua bibliotheca litteris abdi-

batum voluit, ut nihil unquam contenderit aliud, quam ne quis in re aliqua privata vel publica ejus fidem, consilium, diligentiam, auxilium requireret, vel aliqua pars ejus vitae recti viri officio vacaret?

Sed nulla res evidentius, ut arbitror, ejus virtutem declarat, quam ille amor et sollicitudo singularis, qua pauperes in judicium vocatos, vexatas periclitantium viduarum fortunas, pupillos exturbatos e possessionibus et in discrimen adductos voce, opera, favore, pecunia defendit, et lacrimis etiam suis prosecutus est; perinde ac si jurisconsulti munus non alia de causa suscepisset, nisi ut miseris et indigentibus benefaceret. Nunquam profecto eloquentior fuit, nunquam doctior, quam cum pro aliquo aerumnoso homine salutem et incolumitatem apud judices deprecabatur, cui etiam solebat clam collatis largitionibus relatae victoriae voluptatem et laetitiam augere. Ipsa vero respublica, Auditores, vix dici potest quantos et quam incredibiles sui amores in ejus animo excitaret. Hujus rei singulare testimonium fuit, quod pluries accitus splendide et honorifice ab exteris civitatibus, dignitatem et caritatem patriae, cui unice studebat, gratus videri atque esse, omnibus honoribus et emolumentis sibi oblatis praeferendam esse existimavit.

At si haec admiratione digna, non minora illa, quod omnes amore et benevolentia comprehenderit, licet paucos coleret amicos fere nunquam vacuus a curis; quod inter maximos honores difficillimam illam societatem assecutus fuerit gravitatis scilicet cum humanitate incredibili; quod aliorum opinioni nunquam adversatus sit; absque tamen suffragandi studio et si-

ne offensione veritatis; quod nullius pertulerit invidiam, aut simultatem, neque apertam, neque obscuram, licet fere in omnibus ea insit labes et macula, ut virtuti invideant, ac velint ipsum florem dignitatis infringere, adeo scilicet sibi cunctorum animos et voluntates, facilitate, amore, omnium virtutum opinione et existimatione devinxerat.

Tantas porro animi dotes humano generi utiles exornabat summa in Deum pietas et religio, quam semper coluit, tum privatim, tum publice adeo pure ac sollicite, ut cum saeviret per ea tempora, palamque armata et exsultans volitaret cum furiis et facibus per multas Europae partes haeresis ex inferis evocata ab invidia, praesertim et avaritia, metu periculi tam gravis horruerit Peregrinus, steterit animi excelsi et invicti magnitudine adversus illud malum, atque etiam imperaverit testamento heredibus suis, ut firmiter semper et constanter in ea vetusta, et a patribus divinitus accepta Religione servarentur, quae tamquam navis fluitans in alto turbatur quidem ventis et procellis, manet tamen in tempestate saeva, quin unquam fluctibus obruatur. Sed jam ex ipsa caligine tanta modo suborta est lux et serenitas, ut, orbe terrarum tot victoriis triumphisque pacato, et Pontifice Maximo, imperatorum, regum, populorumque fere omnium unanimi consensu et favore, in suam sedem restituto, ipsa quoque Religio ubique recreari, et in magnam spem erigi videatur, fore, ut cunctis gentibus et nationibus inter se coeuntibus unus tandem pastor fiat et unum ovile.

His igitur tam illustribus et sapiente viro dignis

virtutibus insignitus annos natus cum esset sex et octoginta, tenui jam valetudine ob laboriosissimam vivendi rationem, postquam diu degere optavit, ut aliis prodesset, tandem animo tranquillo et humana omnia despiciente sibi mortem adesse sensit, quae cum vitae integerrimae et honestissimae consentanea fuerit, munitaque et recreata bonis omnibus Religionis, dubium non est, quin ei dux fuerit in caelum, ejusdemque laudabilia gesta felix immortalitas exceperit. Luctuosissimo casu, licet neque immaturo, neque improviso, quasi publica aliqua et communi calamitate perculsus lugere nobilium ordo diminutam suam dignitatem, moerere Gymnasium suum exstinctum lumen, dolere curia et forum spoliatum voce erudita, tribunalia squalore obducta obmutescere, lamentari paupertas amissum solatorem indigentiae, ipsa vero respublica, cui tot annos ingenium, laborem, fidem suam promptam expositamque praebuerat, tantum virum tamque beneficum desiderare. Hoc testata est funeris magnificentia cum splendidissimo triumpho conferenda, nisi moeror ac luctus animos funestasset; testati sunt magistratus et proceres civitatis, professoresque Gymnasii et studiosi omnes adolescentes, qui praeter morem et consuetudinem ad honestandas ejus exequias moesto comitatu convenere; testatus est tantus populi concursus ad ecclesiam urbis principem, ubi conditus est, et aviditas tanta audiendi ejus laudes, quas post piacularia justa Bovius sacrae theologiae in hoc Gymnasio professor publice prosecutus est. O virum celeberrimum, et saeculis omnibus hominumque aetatibus praedicandum!

En vobis, egregii Adolescentes, positum ante oculos exemplar nobilissimum. Hoc inspicite, hoc aemulamini, si Dei Optimi Maximi patrocinium, si clementissimi nostri Imperatoris benevolentiam, si patriae commendationem, si civium et proborum omnium gratiam cupitis promereri. Una est, mihi credite, una est ad dignitates et ad gloriam via, doctrina scilicet ac virtus. Quod si antiquum illud exemplum in Peregrino propositum recentibus nec minus illustribus testimoniis confirmare vultis, est vobis auctor et hortator Caesar Augustus, in cujus modo tutela et praesidio, quod erat in votis, hae provinciae feliciter conquiescunt, quique pristinum reddere cupiens decus et splendorem huic Gymnasio providentissime decrevit, ut, sicut olim, ita et nunc inter ceteras facultates theologicae, aliaeque sacrae disciplinae in locum suum revocarentur; est auctor optimus princeps, qui una cum viris summae auctoritatis nostris urbibus tanta aequitate et humanitate praesidet; est patavinae hujus ecclesiae antistitis singulari pietate et doctrina praeditus, qui voluit tam benigne praesentia sua hujus diei celebritatem augere; est judicum consessus in administranda justitia integerrimus atque scientissimus; praetor, qui hanc provinciam paterna sollicitudine et caritate moderatur; praeses civitatis de ejus bono et commodis praeclarissime meritus; sunt denique, et qui nostra haec studia sapientissime regit, et qui vos eximia dexteritate et peritia in gravioribus instituunt disciplinis. Omnes una voce vobis denunciant, et, quod denunciant, exemplo comprobant suo, neminem ad eam immortalitatem, quam Peregrinus sibi pepe-